

alias a jure, vel ab homine excommunicatus, interdictus, suspensus, spurius, infamis, aut alias a jure prohibitus, sive ex aliena diocesi oriundus, sine licentia sui Episcopi, aut non descriptus, examinatus, approbatus, et nominatus, ullo pacto audeat ad suscipiendos Ordines accedere. Et quod nullus ex ordinatis discedat, nisi Missa finita, et benedictione Pontificis accepta.

Demum ad ordinationem procedat.

DE CLERICO FACIENDO.

CLERICUS fieri potest etiam extra Missarum solemnia quocumque die, hora, et loco.

Pro Clericis ordinandis, parentur forfices pro incidendis capillis, et bacile pro illis imponendis. Et quilibet ordinandorum habere debet suum superpellicem super brachium sinistrum, et candelam in manu dextra. Et vocantur omnes tonsurandi nominatim, et sigillatim per notarium, et quilibet respondet. Adsum.

Quibus ante altare coram Pontifice in faldistorio cum mitra sedente genuflexis, Pontifex surgit cum mitra, et dicit :

- v.* Sit nomen Domini benedictum.
- r.* Ex hoc nunc et usque in sæculum.
- v.* Adjutorium nostrum in nomine Domini.
- r.* Qui fecit cælum et terram.

OREMUS, fratres charissimi, Dominum nostrum Jesum Christum, pro his famulis suis, qui ad deponendum comas caputum suorum pro ejus amore festinant, ut donet eis Spiritum sanctum, qui habitum religionis in eis in perpetuum conservet, et a mundi impedi-

mento, ac sæculari desiderio corda eorum defendat; ut, sicut immutantur in vultibus, ita dextra manus ejus virtutis tribuat eis incrementa, et ab omni cæcitate spirituâli et humana oculos eorum aperiat, et lumen eis æternæ gratiæ concedat. Qui vivit, et regnat cum Deo Patre in unitate ejusdem Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum.

Post hæc, sedente Pontifice, schola inchoat et prosequitur Antiphonam, et Psalmum.



Tu es Do-mi-ne qui re-sti-tu-es hæ-re di-



ta-tem me-am mi-hi. Ps. Conserva me.



E u o u a e.

PSALMUS 15.

CONSERVA me, Domine, quoniam speravi in te: * dixi Domino: Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges.

Sanctis, qui sunt in terra ejus: * mirificavit omnes voluntates meas in eis.

Multiplicatae sunt infirmitates eorum: * postea acceleraverunt.

Non congregabo conventicula eorum de sanguinibus: * nec memor ero nominum eorum per labia mea.

Repetitur tota Antiphona. Tu es Domine.

Incepto Psalmo, Pontifex cum farscibus incidit uniuersas extremitates capillorum in quatuor locis, videlicet, in fronte, in occipitio, et ad utramque aurem, deinde in medio capitis aliquot crines capillorum et in bacile deponit, et quilibet, cum tondeatur, dicit :



DOMINUS pars hereditatis meae, et calicis mei : tu es, qui restitues hereditatem meam mihi.

Omnibus tonsis, mitra deposita, surgit Pontifex, et stans versus ad illos, dicit :

OREMUS.


PRÆSTA, quæsumus omnipotens Deus, ut hi famuli tui, quorum hodie comas caputem pro amore divino deposuimus, in tua dilectione perpetuo maneat; et eos sine macula in sempiternum custodias. Per Christum Dominum nostrum. **R.** Amen.

Tunc schola inchoat, et prosequitur Antiphonam sequentem. Qua incepta, Pontifex sedet cum mitra.

Antiphona.



Hi ac-ci-pi-ent bene-dicti-onem a Do-mi-no : et



miseri-cordi-am a De-o sa-lu-ta-ri su-o : qui-a



hæc est ge-ne-ra-ti-o quæ-ren-ti-um Do-



minum. **Ps.** Do-mi-ni est ter-ra.



E u o u a e.

PSALMUS 23.

DOMINI est terra, et plenitudo ejus : * orbis terrarum, et uniuersi qui habitant in eo.
Quia ipse super maria fundauit eum : * et super flumina præparauit eum.

Quis ascendet in montem Dómini; * aut quis stabit in loco sancto ejus?

Innocens mánibus, et mundo corde : * qui non accépit in vano ánimam suam, nec jurávit in dolo próximo suo.

Hic accípiet benedictiónem a Dómino : * et misericórdiam a Deo salutári suo.

Hæc est generátio quæréntium eum : * quæréntium faciém Dei Jacob.

Attóllite portas príncipes vestras, et elevámini portæ æternáles : * et introíbit rex glóriæ.

Quis est iste rex glóriæ? * Dóminus fortis et potens : Dóminus potens in prælio.

Attóllite portas príncipes vestras, et elevámini portæ æternáles : * et introíbit rex glóriæ.

Quis est iste rex glóriæ? * Dóminus virtútum ipse est rex glóriæ.

Glória Patri, et Filio, * et Spirítui sancto.

Sicut erat in princípío, et nunc, et semper : * et in sæcula sæculórum. Amen.

Deinde repetitur tota Antiphona Hi accipient benedictiónem, etc.


Qua finita, surgit sine mitra Pontifex, et ad altare conversus, dicit : Orémus.

Et ministri dicunt : Flectámus gènuá. *ñ.* Leváte.

Et mox ad tonsos genuflexos versus Pontifex, dicit :

ADESTO, Dómine, supplicatióibus nostris, et hos fámulos tuos bene ✠ dicere dignáre, quibus in tuo sancto nómine hábitum sacræ religiónis impónimus; ut, te largiènte, et devóti in Ecclésia tua persístere, et vitam percípere mereántur ætérnam. Per Christum Dóminum nostrum. *ñ.* Amen.

Tum Pontifex sedet cum mitra, et accipiens in manum superpelliceum, dicit singulis :



INDUAT te Dóminus novum hóminem, qui secundum Deum créatus est, in justitia, et sanctitáte veritátis.

Et mox imponit illud cuilibet, repetendo, Induant te, etc. immittens usque ad scapulas, et immediate trahens, si unum tantum sit superpelliceum; sicque facit usque ad ultimum, qui eo totaliter induitur; si vero quisque suum superpelliceum habeat, singuli totaliter induuntur. Quo expedito, sine mitra surgit Pontifex, et versus ad illos dicit :

OREMUS.

OMNIPOTENS sempitérne Deus, propitiáre peccátis nostris, et ab omni servitúte sæcularis hábitus hos fámulos tuos emúnda; ut dum ignominiam sæcularis hábitus depónunt, tua semper in ævum grátia perfruántur: ut, sicut similitúdinem coronæ tuæ eos gestáre fácimus in capítibus, sic tua virtúte hereditátem subsequi mereántur ætérnam in córdibus. Qui cum Patre, et Spíritu sancto vivis, et regnas Deus, per ómnia sæcula sæculórum. *R.* Amen.

Deinde sedet cum mitra Pontifex, et alloquitur eos sub his verbis:

FILII charíssimi, animadvértere debétis, quod hódie de foro Ecclésiæ facti estis, et privilégia clericália sortíti estis; cavéte igitur, ne propter culpas vestras illa perdátis; et hábitu honéstó, bonisque móribus, atque opéribus Deo placére studeátis. Quod ipse vobis concédát per Spíritum sanctum suum. *R.* Amen.

Tum, suggerente Archidiacono, ordinati redeunt ad loca sua.

DE MINORIBUS ORDINIBUS

QUATUOR minores Ordines dari possunt extra Missarum solemnía, diebus Dominicis, et Festivis duplicibus ex præcepto, sed in mane tantum.

Ordinandi omnes ad quatuor minores Ordines esse debent superpelliceis induti, cum candela in manu dextera.

DE ORDINATIONE OSTIARIORUM.

PRO Ostiariis ordinandis parentur claves Ecclesiæ. Pontifex, Clericis initiatis, surgit et cum mitra ad sedem, seu ad faldistorium, in cornu Epistolæ, revertitur; ubi deposita mitra, et ad altare conversus, oblato sibi libro, cantat primam Collectam, deinde sedet, reassumit mitram, et cantatur prima Lectio. Interim accedunt duo Capellani cum libro, et candela ante Pontificem, qui sedens cum mitra, ex eo legit Lectionem ipsam. Quibus finitis, surgit Pontifex, et cum mitra ad faldistorium ante medium altaris sibi præparatum proficiscitur, et in illo sedet renibus altari versis. Archidiaconus vocat ordinandos, dicens:

Accédant qui ordinandi sunt ad officium Ostiariórum.

Et mox notarius singulos nominatim vocat, et quilibet respondet: Adsum.

Omnibus in superpelliceis cum candelis in manibus coram Pontifice genuflexis, Pontifex admonet illos, dicens:

SUSCEPTURI, filii charíssimi, officium Ostiariórum, vidéte, quæ in domo Dei ágere debeátis. Ostiárium opórtet percútere cymbalum, et campánam; aperire Ecclésiám, et sacrárium; et librum aperire ei, qui prædicat. Providéte igitur, ne per negligéntiam vestram, illárum rerum, quæ intra Ecclésiám sunt, áliquid depéreat; certisque horis domum Dei aperiátis fidélibus; et semper claudátis infidélibus. Studéte étiam, ut, sicut materiális clavibus Ecclésiám visibilem aperitis, et cláuditis, sic et invisibilem Dei domum, corda scilicet fidélium, dictis, et exémplic vestris claudátis diabolo, et aperiátis Deo; ut divína verba, quæ audierint, corde retíneant, et ópere cómpleant, quod in vobis Dóminus perficiat per misericórdiam suam.

Hæ admonitiones non fiunt Cardinalibus, neque electis Episcopis.

Deinde Pontifex accipit, et tradit omnibus claves Ecclesiæ, quas successive manu dextera singuli tangant, Pontifice dicente :



Sic ágite, quasi redditúri Deo ratiónem pro iis rebus, quæ his clávis recludúntur.

Post hæc Archidiaconus, sive alius Archidiaconi vice fungens, ducit eos ad ostium Ecclesiæ, et facit illos claudere, et aperire; tradit etiam eis funem campanarum, faciens eos campanas pulsare; deinde illos reducit ad Pontificem; quibus coram Pontifice genua flectentibus, stans cum mitra Pontifex versus ad ipsos ordinatos, dicit :

DEUM Patrem omnipoténtem, fratres charíssimi, suppliciter deprecémur, ut hos fámulos suos bene ✠

dicere dignétur, quos in officium Ostiariórum eligere dignátus est; ut sit eis fidelíssima cura in domo Dei, diébus, ac nóctibus, ad distinctiónem certárum horárum, ad invocándum nomen Dómini, adjuvánte Dómino nostro Jesu Christo, qui cum eo vivit, et regnat in unitáte Spíritus sancti Deus, per ómnia sæcula sæculórum. *R.* Amen.

Tum, mitra deposita, stans Pontifex, et conversus ad altare, dicit : Orémus :

Et ministri subjungunt : Flectámus génua. *R.* Leváte.

Et statim versus ad illos genuflexos, stans sine mitra, dicit :

DOMINE sancte, Pater omnipotens, ætérne Deus, bene ✠ dicere dignáre hos fámulos tuos in officium Ostiariórum, ut inter janitóres Ecelésiæ tuo páreant obséquio, et inter eléctos tuos, partem tuæ mereántur habére mercédís. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit, et regnat in unitáte Spíritus sancti Deus, per ómnia sæcula sæculórum. *R.* Amen.

Post hæc ordinati, suggerente Archidiacono, redeunt ad loca sua.

DE ORDINATIONE LECTORUM.

Pro Lectoribus ordinandis paretur liber Lectionum.

OSTIARIIS ordinatis, Pontifex reassumpta mitra, accedit ad sedem suam, vel ad faldistorium in cornu Epistolæ. Interim cantatur primum Graduale, vel primum Allelúia, si sit infra Octavam Pentecostes; et Pontifex sedens cum mitra, oblato sibi

libro, et candela, legit dictum Graduale, vel Allelúia. Quibus dictis, surgit, deposita mitra, et versus ad altare cantat secundam Collectam. Tum sedet, reassumpta mitra, et cantatur secunda Lectio. Interim accedunt duo Capellani cum libro, et candela ante Pontificem, qui sedens cum mitra, ex eo legit Lectionem ipsam. Quibus dictis, Pontifex revertitur ad faldistorium ante medium altaris positum, ubi sedet cum mitra, et Lectores vocantur per Archidiaconum, hoc modo:

Accédant qui ordinándi sunt ad officium Lectórum.

Et mox nominantur per notarium, ut supra dictum est. Quibus coram Pontifice cum candelis in manibus genuflexis, Pontifex admonet eos, dicens:

ELECTI filii charíssimi, ut sitis Lectóres in domo Dei nostri, officium vestrum agnóscite, et impléte. Potens est enim Deus, ut áugeat vobis grátiam perfectiónis æternæ. Lectórem siquidem opórtet légere ea quæ (vel ei qui) prædicat; et lectiones cantare; et benedicere panem, et omnes fructus novos. Studéte igitur verba Dei, videlicet Lectiones sacras, distincte et apérte, ad intelligéntiam, et ædificatióem fidélium absque omni mendácio falsitátis proférre; ne véritas divinárum Lectionum incúria vestra ad instructiόnem audiéntium corrumpátur. Quod autem ore légitis, corde credátis, atque ópere compleátis; quátenus auditóres vestros, verbo páriter et exémplo vestro, docére possitis. Ideóque, dum légitis, in alto loco Ecclesiæ stetis, ut ab ómnibus audiámini, et videámini figurántes positione corporáli, vos in alto virtútum gradu debére conversári; quátenus cunctis, a quibus audimini, et vidémini, cœlestis vitæ formam præbeátis; quod in vobis Deus impleat per grátiam suam.

Deinde Pontifex accipit, et tradit omnibus codicem, de quo lecturi sunt, quem manu dextera tangunt, dicens:



ACCIPITE, et estóte verbi Dei relatóres, habitúri, si fideliter, et utiliter impleveritis officium vestrum, partem cum iis, qui verbum Dei bene administraverunt ab initio.

Quibus expeditis, et illis genuflexis, Pontifex stans cum mitra versus ad eos, dicit:

OREMUS, fratres charíssimi, Deum Patrem omnipotentem, ut super hos sámulos suos, quos in Ordinem Lectórum dignátur assúmere, bene ✠ dictionem suam cleménter effúndat, quátenus distincte legant, quæ in Ecclesiá Dei legénda sunt, et éadem opéribus impleant. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Filium suum, qui cum eo vivit, et regnat in unitáte Spiritus sancti Deus, per ómnia sæcula sæculórum. **ñ.** Amen.

Tum Pontifex, mitra deposita, stans conversus ad altare, dicit: **O rémus**

Et ministri subjungunt: **Flectámus génuá. ñ.** Leváte.

Deinde conversus ad ordínatos genuflexos, dicit, sine mitra:

DOMINE sancte , Pater omnipotens , ætérne Deus , bene ✠ dicere dignáre hos fámulos tuos in officium Lectórum , ut assiduitáte lectionum instrúcti sint , atque ordináti ; et agénda dicant , et dicta ópere ímpleant , ut in utróque sanctæ Ecclésiæ exémplo sanctitátis suæ cónsulant . Per Dóminum nostrum Jesum Christum Filium tuum , qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus sancti Deus , per ómnia sæcula sæculórum . *ñ.* Amen .

Postea , suggerente Archidiacono , redeunt ordinati ad loca sua .

DE ORDINATIONE EXORCISTARUM.

Pro Exorcistis ordinandis paretur liber exorcismorum ,
cujus loco dari potest Pontificale , vel Missale .

LECTORIBUS ordinatis , Pontifex reassumpta mitra , accedit ad sedem suam , vel ad faldistorium , in cornu Epistolæ , ubi sedens cum mitra , oblato sibi libro , et candela , legit secundum Graduale , vel secundum Allelúia , si sit infra Octavam Pentecostes . Interim cantatur a choro ipsum Graduale , vel Allelúia . Quo finito , surgit Pontifex , deposita mitra , et versus ad altare cantat tertiam Collectam . Tum sedet , reassumpta mitra , et cantatur tertia Lectio . Interim accedunt duo Capellani cum libro , et candela ante Pontificem , qui ex eo legit Lectionem ipsam . Quibus dictis , revertitur ad faldistorium ante altare , et sedet cum mitra . Exorcistæ vero vocantur per Archidiaconum modo consueto , dicendo :

Accédant , qui ordinánda sunt ad officium Exorcistarum .

Et ipsi singulatim nominantur per notarium , ut prius

dictum est . Quibus coram Pontifice cum candelis in manibus genuflexis , Pontifex admonet eos , dicens :

ORDINANDI , filii charissimi , in officium Exorcistarum , debétis nóscere quid suscipitis . Exorcistam étenim opórtet abjicere dæmones ; et dicere pópulo , ut , qui non commúnicat , det locum ; et aquam in ministério fúndere . Accipitis itaque potestátem imponénda manu super energúmenos , et per impositionem mánuum vestrarum , grátia Spíritus sancti , et verbis exorcismi pellúntur spíritus immúndi a corpóribus obséssis . Studéte igitur , ut , sicut a corpóribus aliórum dæmones expéllitis , ita a méntibus , et corpóribus vestris omnem immundítiam , et nequítiam ejiciátis ; ne illis succumbátis , quos ab aliis , vestro ministério , effugátis . Discite per officium vestrum vítiis imperáre ; ne in móribus vestris áliquid sui juris inimicus váleat vándicare . Tunc étenim recte in aliis dæmónibus imperábitis , cum prius in vobis eórum multímodam nequítiam superátis . Quod vobis Dóminus ágere concédatur per Spíritum suum sanctum .

Post hæc Pontifex accipit , et tradit omnibus librum .



in quo scripti sunt exorcismi, ejus loco tradi potest Pontificale, vel Missale, quem manu dextera tangunt, Pontifice dicente :

ACCIPITE, et commendate memoriæ, et habete potestatem imponendi manus super energúmenos, sive baptizatos, sive catechúmenos.

Postea vero, omnibus devote genuflexis, Pontifex cum mitra stans, dicit :

DEUM Patrem omnipotentem, fratres charíssimi, supplices deprecémur, ut hos fámulos suos bene ✠ dicere dignétur in officium Exorcistárum; ut sint spirituáles imperatóres, ad abjiciéndos dæmones de corpóribus obséssis, cum omni nequítia eórum multifórmi. Per unigénitum Filium suum Dóminum nostrum Jesum Christum, qui cum eo vivit, et regnat in unitáte Spíritus sancti Deus, per ómnia sæcula sæculórum. *ñ.* Amen.

Tum conversus ad altare, deposita mitra, dicit : Orémus.

Et ministri subjungunt : Electámus génuu. *ñ.* Leváte.

Et mox conversus ad ordínatos genuflexós, dicit :

DOMINE sancte, Pater omnipotens, ætérne Deus, bene ✠ dicere dignáre hos fámulos tuos in officium Exorcistárum; ut per impositionem mánuum, et oris officium, potestátem, et impérium hábeant spíritus immúndos coercéndi; ut probábiles sint médici Ecclésiæ tuæ, grátia curatiónum virtutéque cœlesti confirmáti. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit, et regnat in unitáte Spíritus sancti Deus, per ómnia sæcula sæculórum. *ñ.* Amen.

Post hæc, suggerente Archidiacono, redeunt ad loca sua.

DE ORDINATIONE ACOLYTHORUM.

Pro Acolythis ordinandis parentur candelabrum cum cereo extincto, et urceolus vacuus pro vino, pro Sacramento.

EXORCISTIS ordinatis, Pontifex, reassumpta mitra, accedit ad sedem suam, vel ad faldistorium, in cornu Epistolæ, ubi sedens cum mitra, oblato sibi libro, et candela, legit tertium Graduale, vel tertium Allelúia, si sit infra Octavam Pentecostes. Interim a choro cantatur ipsum Graduale, vel Allelúia. Quo finito, surgit Pontifex, deposita mitra, et versus ad altare cantat quartam Collectam. Tum sedet, reassumpta mitra, et cantatur quarta Lectio. Interim accedunt duo Capellani cum libro, et candela ante Pontificem, qui sedens cum mitra ex eo legit Lectionem ipsam. Quibus dictis, Pontifex revertitur ad faldistorium, ante altare, ubi sedet cum mitra. Acolythis vero vocantur per Archidiaconum.

Accédant qui ordinánda sunt ad officium Acolythórum.

Et mox nominantur per notarium, ut supra. Quibus coram Pontifice cum candelis in manibus genuflexis, Pontifex admonet eos, dicens :

SUSCEPTURI, filii charíssimi, officium Acolythórum, Spensáte quod suscipitis. Acólythum étenim opórtet ceroferárium ferre; luminária Ecclésiæ accéndere; vinum, et aquam ad Eucharistiam ministráre. Studéte igitur susceptum officium digne implére. Non enim Deo placére potéritis, si lucem Deo mánibus præferétes, opéribus tenebrárum inserviátis, et per hoc áliis exémpla perfidiæ præbeátis. Sed sicut Véritas dicit : Lúceat lux vestra coram homínibus; ut videant ópera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis